

pro germano & genuino Ecclesiarum suarum Symbolo agnoscere.

115. Hinc in omnibus Comitibus ac conventibus publicis, Confessio nostrarum Ecclesiarum, hoc textu unguis, cu tessera quadam, à spuria illa & adulterina distinguebatur, ut Confessio nuncuparetur, quæ Augustæ, non alibi: quæ Anno 30: non, quæ partum Elephanti imitata, decennio post esset scripta: quæ non in umbra ac tenebris latitaverit, sed in publicis Comitibus Imperatori Carolo V. fuerit exhibita.

116. Hanc Confessionem primam, non illam alteram & vitiatam Sanctio illa pragmatica, (quam pacificationem Religionis, seu transactionem Passaviensem vocant) respicit: huic libertatem & pacem publicam, Imperatoria autoritas promittit: ita ut primam hanc Confessionem everfam qui volunt, ipsum simul pacis publicæ bonum tollere conentur.

Ambros.
VVolfij
mendacia,
de causis
mutatæ
Confessio-
nis.

117. Ogganiunt verò Sacramentarij, & causas mutatæ Confessionis comminiscantur alias, non minus futiles & elumbes. Nam egregiè primùm mentiuntur, priorem Confessionem, in decimo præsertim Articulo nimium papizasse, (hac enim phrasi nonnulli utuntur): ideoq; mutationem à Philippo, communi consilio atq; deliberatione fuisse institutam.

118. Posterius membrum hujus assertionis VVolfiane, purum putū est mendacium: id quod tot per-

spicua